



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 2. Non soli obstinati difficulter convertuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

Saltem concedit Appendix difficulter
 converti ; nec immeritò : est enim obsti-
 natio unum è peccatis in Spiritum San-
 ctum , cujusmodi propter summam ar-
 duitatem dicuntur irremissibilia. Propter
 quod dum talibus obstricti convertuntur,
 dicit eos S. Thomas , omnipotentiâ &
 misericordiâ Dei quasi miraculosè spiri-
 tualiter sanari. His proinde præcipuè con-
 venit , quod generaliter dixit Bernardus :
Difficilis prorsus res est , & soli divina virtuti
possibilis , susceptum semel peccati jugum a cervi-
cibus excutere ; quoniam qui facit peccatum ser-
vus est peccati ; nec est jam liberari nisi in manu
forti. Et ante ipsum Gregorius : *Flagitio-*
rum conversio facilis non est.

2. 2. quest.
 14. q. 3.

Serm. de
 trip. Miss.

Lib. 5. c. 4.
 in l. 1. reg.

§. II.

Non soli obstinati difficulter convertuntur.

Verùm non rectè id ad solos obstina-
 tos restringit Appendix, secùs affe-
 rens de non obstinatis. Non enim omninò
 obstinatus erat Augustinus, dum jam bo-
 nam voluntatem habebat, ut Deum gratis
 coleret, atque auditâ Victorini conversio-
 ne exardebat ad imitandum : sed tamen adhuc
 prægravari se sentiens , *Illi rei ergò suspira-*
bam , inquit , ligatus non ferro alieno , sed meâ

L. 8. Conf.
 cap. 5.

ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippè ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibi innoxis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus; voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruiquè te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam, &c.

Hanc difficultatem, quam etiam non obstinati, sed utcumquè jam converti volentes patiuntur, proprio experimento edoctus, pulchrè exponit commentatus in Psal. 106. quempiam proferens jam perductum in viam fidei: Cum ergo, inquit, ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam sibi multum tribuendo, & quasi de suis viribus presumendo, incipit conflagere velle bello contra vitia, & propter superbiam superari. Invenit ergò se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum & tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, quâ evadat, ut rectè vivat, non invenit. Jam scit quomodo vivere debeat; prius enim in errore erat & famem veritatis patiebatur.

PECCATORIS. 85

liberatur: accepit autem jam cibum veritatis, & positus in via, audit: vive benè secundum quod nosti; antea enim non noveras quemadmodum viveres, modò accepisti & nosti. Conatur & non potest: ligatum se sentit, exclamat ad Dominum, liberat Dominus de necessitatibus, rampit vincula difficultatis, constituit in operationem equitatis, &c. Hanc magistri sui doctrinam secutus est, & in suum ad eundem Psalmum commentarium transtulit S. Prosper.

Eandem & in volentibus difficultatem agnovit magnus Gregorius: *Qui peccat, inquit, in rete mittit, non cum voluerit ejicit, sic qui in peccatis se dejicit, non mox ut voluerit surgit. Et iterum: Sape nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorum actuum pondere premuntur in mala consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt. Denique ut alia, ne fusior sim, præteream, volentes intuebatur idem egregius Doctor cum dixit: Quibus ergò peccata dominantur per se ab eorum jugo liberari nequeunt, nam sape ad Deum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt: divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cum possent, non possint vitare cum volunt. Et qui spontè incurrunt mala præcognita, fugere non possint experta.* Et ante

Hom. 5. in Jerem. Gregorium S. Cyrillus Alexandrinus :
Resipiscentes , & initium conversionis habentes , aiunt , peccavimus & non obedivimus . Neque enim simul ac volumus obedire , continuò obedi- mus . Etenim tempore opus est , sicut in vulne- ribus ad curationem , sic in conversione ad plenè & pure convertendum se ad Deum .

L. de simi- lit. c. 189. Hossecutus S. Anselmus (sivè ut alii vo-
 lunt quispiam Discipulorum ejus) *Jocatur diabolus , inquit , cum hominibus multis , quos ir- retitos suis laqueis pro sua voluntate in diversa vi- tiorum impedimenta pertrahit . Sunt enim qui- dam (ut v. g. dicam) avaritiæ seu luxuriæ & simi- lium flammis succensi , ex mala consuetudine illis addicti . His contingit aliquando , ut sua facta con- siderantes , fleant , sequè amodò è talibus cessa- turos ore promittant , & more avis irretitæ libe- ros se volare autument . Sed quia pravo usu irre- titi ab hoste tenentur , nolentes in eadem vitia dejiciuntur , fitquè hoc sæpiùs , nec omnimodè li- berantur , nisi magno conatu & gratiâ funis rumpatur prave consuetudinis . Anselmo non- nihil posterior Aëlredus : Scit qui ex- pertus est , inquit , quomodo vitis subditus mi- serabiliter ab ipsis concutitur , & quasi obsessus undique lapidatur . Omnis enim qui facit pec- catum , servus est peccati . O dura servitus ! que etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia , cum violentiâ malæ consuetudinis ad illud*
 im-

Ser. 15. in Isaiam.

PECCATORIS. 87

impellitur vitium, quod jam detestatur: ut mirum in modum & peccatum ita velit ut faciat, ita nolit ut ploret.

Omittere hic nolim Venetensem Patriarcham B. Laurentium Justinianum; nam & ipse volentem & conantem attendebat dicens: *Vsitata namque obligat mentem ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi etiam cum noluerit cadit. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur injustus animus, eo merito quo in eam volens lapsus est, ad quam quodam progressu pervenit anima. Primum fit titillatio delectationis in corde, deinde consensio, tertio operis perpetratio, postremo consuetudo, in quam deveniens anima suorum extra se trahitur vinculis peccatorum. Priora verba ex D. Gregorio sumpta sunt, quae etiam profert & approbat S. Bonaventura lib. 3. Pharetræ cap. 12.*

Lig. vita
tom. 9. de
pensis. 6. 3.

Pulchrè id totum elucidat & confirmat S. Bernardus: *Tripliciter, inquit, mihi videntur homines esse sub Principe tenebrarum. Primum quidem nec volentes nec nolentes: quod convenit his qui necdum habent voluntatis usum: sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vasa ejus diripiat fortior per Sacramentum adveniens. Secundo modo volentes, cum jam voluntariè peccant. Tertio quoque modo*

Serm. 8. de
div. c. 5.

do nolentes, cum jam resipiscere vellent, nisi quod peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei iudicio, qui in sordibus sunt sordescunt adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur Prodigus ille filius, & verè prodigus nimis, qui non modo dissiparat sua, sed & semetipsum subiecerat miserae servituti, infelix venundatus sub peccato: cum ad se reversus ait: QUANTI MERCENarii IN DOMO PATRIS MEI ABUNDANT PANIBUS: EGO AUTEM HIC FAME PEREO! Si quis expertus est in semetipso, facile, credo, in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim peccati consuetudine obligatus non se felicem reputaret, si datum ei esset esse tanquam unum ex his, quos in saeculo tepidos videt viventes sine crimine, minime tamen quærentes quæ sursum sunt, sed quæ super terram? QUANTI, inquit, MERCENarii IN DOMO PATRIS MEI ABUNDANT PANIBUS! id est, consolantur in innocentia sua, & fruuntur propria conscientie bono; ego autem hic fame pereor: insatiabilibus crucior peccatorum desideriis & affectibus vitiorum! Porro qui pleno affectu vitiis addicti sunt, ut inde destinato proposito nolint abscedere, nondum arduam sibi sentiunt sui in meliora mutationem, nondum eis difficile apparet motus suos, quibus spontè & ex toto corde obsequun-

PECCATORIS. 89

quuntur, cohibere & indè amorem avertere. Cùm verò id attentare cœperint, tum quoque qualiter peccatorum suorum funibus peccator constringitur, proprio experimento incipiunt agnoscere. Peccati jugum, quod ad suscipiendum leve est, quàm sit ad excutiendum grave, probant cùm id jam volunt deponere: cujusmodi gluten sit inveteratus amor, quàm fortiter suo objecto animam affigat, vident cùm indè sese conantur expedire, & sese non debitè expediunt, nisi ille subveniat qui istam expeditionem promittebat, cùm dixit: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Si ergò vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Difficilis proindè obstinatorum est conversio; sed difficultatem tum maximè percipiunt, cùm obstinati esse desinunt, & sese incipiunt jam velle convertere.

Ioan. 8. v. 34. 36.

Ex his jam patet quàm non immeritò dixerit Rev. Pater Paulus Zehentner Societatis J E S U Theologus: *Multorum non levis error est, cùm putant, quàm obvia est peccatori pœnitentia, tam eidem esse facilem & expeditam.* Et infrà: *Gemmula ista cœlestis gratiæ, cujus jacturam facit impius venator libidinis suæ, tametsi recuperabilis sit, non tamen obvenit nisi multùm sudanti & estuanti, & gementi*

L. 3. prom. male spei §. 1.

menti & dolenti, & deprecanti, & detestanti facinora sua : atque ut pronum est humanae infirmitati magni Dei favoribus excidere, sic restitui est operosum.

C A P U T VIII.

*Vtrum aequè facile quis sit dispositus, ut absolva-
tur, sive tantum habeat peccata venialia, sive
etiam multa mortalia, praesertim con-
suetudine inveterata?*

Inutilis forsan cuiquam hujus quæ-
stionis judicabitur propositio : hebes
quippe est aut rudis, cui non ejus sit
manifesta veritas. Tamen Appendici, ut
in aliis plerisque quæstionibus, ita & hic
mos gerendus fuit. Cum enim peccato-
ri, non ut ei luberet, sed instanter per-
severanterque petenti, quærenti & pul-
santi poenitentiae gratiam Manuductio
dixisset esse promissam, atque id paupe-
ris viduae, atque importuni amici para-
bolis confirmasset : Contra, ait Appendix
num. 255. *verum est quod Christus ibidem
hortetur ad instantiam orationis : sed nihil ad
rem : aliàs sequeretur, idem faciendum illis,
qui cum solis peccatis venialibus vadunt ad con-
fessionem : nam gratia contritionis aequè ipsis est
super-*